


CONTINUATIO PROMOTO-
RIS, EIVSDEMQUE PETITIO AD
Ampl.ß. Vice Cancellarium.

Satis quidem seipsam eruditio commendat, nec alieno splendore virtus eget. Hinc *Aristippus* apud Laertium cuidam percontanti, qua in re differret sapiens ab indocto, respondit, *ambos mitte nudos ad homines ignotos & videbis*. Quasi dicat virtute & eruditione præditum in pectore secum habere, quo se cunctis commendare possit. Satius enim esse putat mendicem quam indoctum esse, cum ille tantum pecuniis, hic vero humanitate egeat: cui enim pecunia deest ab obviis eandem petit, cui deest sapientia, nullum sollicitat ut accipiat. Hoc est fundamentum nostrum, cur supervacaneum nobis videbatur, præsentem Candidatum nostrum, virum eruditione & virtute præcellentem, *Dn. Johannem Hempelium, Silesium*, longiori virtutis & eruditionis encomio vobis, Auditores, commendare. Cum enim secum gerat illas proprietates, quæ semetipsas commendant, nudum eundem, hoc est, ne quid auribus dare videremur, absque longa virtutis & eruditionis enumeratione in hanc cathedram produximus.

Quemadmodum vero prædictum nostrum Candidatum de gravissima materia doctè differentem attentione singulari audivistis, ita non dubitamus, omnibus manifestum esse, quod longam asperam & arduam virtutis viam eo sudore & labore calcârit hætenus, ut jam ad summum perveniens facilis ipsi sit ejus possessio. Nihil autem hæc